CLEMENTIS ROMANI EPISTULAE: AD IPSIUS CODICIS ALEXANDRINI FIDEM AC MODUM REPETITIS CURIS...

CLEMENTIS ROMANI

EPISTULAE.

EDIDIT

CONSTANTINUS DE TISCHENDORF.

EDITIO SECUNDA.

CLEMENTIS ROMANI

EPISTULAE.

AD IPSIUS CODICIS ALEXANDRINI FIDEM AC MODUM

REPETITIS CURIS

EDIDIT

CONSTANTINUS DE TISCHENDORF.

ACCEDIT TABULA.

LIPSIAE.
J. C. HINRICHS.
1873.

Epistula Clementis Romani ad Corinthios in litteris quae ipsas apostolicas exceperunt insignem ne dicam primum locum occupat. Posteritati illa quidem, pariter atque quae ementito auctore eiusdem Clementis altera dici solet, servata non est nisi codice Alexandrino sacros utriusque Testamenti libros complectente. Quem quum anno 1628 Cyrillus Lucaris, patriarcha primum Alexandrinus post Constantinopolitanus, ad Carolum I. Angliae regem per Thomam Roe ex legatione Turcica Londinum redeuntem dono misisset, iam quinque annis post Patricius Iunius, tunc bibliothecae Regiae curator, quae extremis foliis undecim continebantur opera apostolici viri nomine insignita cum orbe Christiano communicavit. Qua in re diligentissime ille sibi versatus videbatur, syllabarum vocumque deperditarum, litterarum vetustate exesarum, ipsorum spatiorum ratione habita. Repetiit editionem suam anno 1637, nec alii deerant qui eius vestigiis insisterent. Atque prodierunt usque ad annum 1866 ubique terrarum editiones Graecae, ut varias interpretationes praetereamus, plus triginta. Ex his celebritatem quandam adsecutae sunt praeter editionem principem quamvis inprimis vitiosam eae quas Henricus Wotton Cantabrigiae et Guilielmus Iacobson Oxonii publicaverunt. Ut enim Wottonus ipsum codicem sive, ut primi editoris verbis utar, laceras eius reliquias multo accuratius Iunio excussit atque 1718 plerumque ad litteram typis exscripsit, ita Iacobsonus plura quae dubia manserant sollerter indagavit et studiis ter repetitis (primum edidit 1838, quartum 1863) cum popularibus suis tum exteris bene consuluit. Quo autem maiorem per totum orbem Christianum doctum epistulis illis Clementis, ex quo primum prodierunt, honorem atque cultum habitum esse scimus, eo magis mirum videbatur nondum eiusmodi editionem paratam esse qua singula quae in codice supersunt quam accuratissime repraesentarentur. Quid quod nec Carolo Godofr. Woide nec Henrico Herv. Baber, quum edebant ex Alexandrino codice cum artificiosa imitatione antiquae scripturae, hic Vetus, Novum ille Testamentum, curae fuerat ut epistulae Clementis eisdem typis describerentur, quamvis non manu tantum eadem scriptae, sed etiam antiquis dignae visae essent quae unum cum ipsis sacris litteris corpus efficerent.

Mihi quidem dudum propositum erat ut illorum supplerem studia, praesertim quum ex recentioribus editionibus didicissem quam ambigua multorum locorum lectio mansisset. Qua mente quum ineunte anno 1865 Angliam repetissem, comperi aliquot annis ante Musei Britannici curatores ex sententia doctorum Oxoniensium et Cantabrigiensium reliquias Clementinas arte photographica exprimi paucisque exemplis edi iussisse. Quae res pro rei natura partim tantum bene cessit. Ut enim multorum locorum scriptura pro vetustate codicis non satis conservata est ut vitro photographico perspicue reddi potuerit, ita olim, brevi postquam codex pretiosissimus Londinum advectus est, imprudenter infusa gallarum tinctura plures paginae tantopere maculatae sunt ut photographus non tam litteras quam maculas reddiderit. Unde factum est ut de undecim foliis illis paginae novem maculis nigris plus minus deformatae ex manibus photographi prodirent, quattuor vero paucis exceptis ad eruendam scripturam adhiberi omnino vix possent. Hinc non erat cur ipse a proposito desisterem; poterat tamen photographica illa editio, cuius de paucis exemplis sex supererant, nonnihil mihi utilitatis afferre. Impetrata igitur a nobilissimis Musei Britannici curatoribus venia, ipsum codicem, quem plerique vel digito tangere vetantur, studiose pertractavi maximamque Clementinorum partem manu mea descripsi. Praeterea illi, quo singulari erga me favore sunt, ipsius photographicae editionis exemplum dono mihi dederunt, quo melius varias antiquae scripturae rationes imitari et spatia quae litterae deperditae occupasse viderentur indicare possem.

Adhibitis igitur typis meis Sinaiticis quantum utriusque epistulae in codice Alexandrino superest ad litteram exscripsi inque Appendicem meam codicum celeberrimorum Sinaitici Vaticani Alexandrini anno 1867 recepi. Cuius libri exemplaribus intra paucos hos annos divenditis Clementinas eius partes singillatim nunc repetere placuit. Qua in repetitione etsi non eisdem quibus in Appendice typis usus sum, tamen similitudo ipsius libri antiqua manu scripti tanta conservata est ut accuratiora studia de singulis locis, inprimis eis qui propter lacunas dubii sunt, maiorem in modum adiuventur.

Nec vero frustra denuo post tot alios Clementina ista ex ipso codice edendi laborem in me suscepisse mihi videor. Nec enim pauca magnam legendi difficultatem habent sibique oculos exercitatissimos poscunt; rursus vitiositas ipsius antiquae scripturae praesumentem cogitatione id quod scribi debebat facile in errorem ducit. Unde videntur excusationem habere si qui legendo falsi sunt. Falsi autem sunt passim omnes ubi iam nihil dubii relictum est; alia quae prout sunt dubitationem habent, nunc demum probabili coniectura constitui poterunt. Ita, ut ex vitiis per duo haec saecula repetitis aliquid exemplorum afferamus, hucusque editum est prioris epistulae capite 49. ineunte: το μεγαλειον της καλλονης αυτου τις αρκει ως εδει ειπειν. In quibus quis non videt parum concinne scriptum esse τις αρκει ως εδει ειπειν? Scilicet hanc lectionem finxit Iunius, nec veram substituit quisquam eorum qui posterioribus curis toties eum correxerunt. In codice vero scriptum est: τις αρκετος εξειπειν, quae verba me quidem indice nihil dubii habent, licet mediae

litterae in membranam laceram incidant. Quae laceratio sane docet qui fieri potuerit ut omnes ante me fallerentur.* Eodem capite ineunte omnes editiones habuerunt τηρησατω, ipse vero codex ποιησατω. Rursus capite 50. ineunte male ex codice eruerant αν απαξιωση pro αν (ν supra scripto) καταξιωση, quo de loco vide commentarium. Similiter vitium inventum est ubi revera non est 1, 2 σκοσμημενοι. Omnino enim κεκοσμημενοι est. (Contra 1, 44 εδωκασιν legitur.) Etiam peius est quod 1, 21 λεγει γαρ πουν detectum est, quo loco punctum post που fefellit. Huc trahi etiam potest 1, 2 ubi αμαμνησικακοι ex codice protulerunt varieque commentati sunt. At est αμαμνησικακοι, syllaba prima inepte repetita. Constanter 2, 6 editum est απαντεσ pro παντεσ, item 1, 54 εν κω, quod satis obscuro loco legitur, pro εν χω. 1, 12 in verbis ο γαρ φοβοσ και [τρο] μοσ nemo vidit post και superesse ο, unde και ο τρομοσ edendum erat, nec magis visum est 1, 8 μετα ορκου pro μεθ ορκου, aut 2, 6, quod miror quum planissimum sit, τον κοσμον ολον pro τον ολον κοσμον. 1, 5. hucusque post βραβειον supplendum esse putarunt υπειχεν. υπεσχεν, απεσχεν. At superest -ξεν, quo nihil horum recte suppleri docetur. Item in ordine verborum errarunt qui 1, 20 εν ειρηνη και ομονοια ποιουνται ediderunt; hoc enim loco εν ομονοια και ειρηνη legitur. Ad 1, 30 male refertur in codice esse αγιον notatis ου litteris super ιο. At scriptum est αγιουν, ut recte iam Iacobsonus indicavit. Additis igitur litteris ου manu haud dubie et ipsa antiqua manifesto αγιου ουν scriptum est. Earum porro lectionum, ad quas in editionibus corrigendas accuratior spatii ratio valeat, exempla haec sunt: 1, 13 εαυτουσ προσ, cui lectioni εαυτουσ εισ praestat; 1, 32, ubi potius ιερεισ τε και λευιτασ quam ιερεισ και λευιτασ restituendum est: 1, 33 ubi non τη εαυτου προσταξει a spatio commendationem habet, sed τη εαυτου συνταξει. 1, 7 nec [βλεπω] μεν τι καλον eum spatio satis convenit nec [και προ]σδεκτον. 1, 56. vix παιδε[υει θεοσ], fortasse παιδευει θσ,** pro spatio legi potest, certe non potest παιδ. ο θεοσ. 2, 4. εν τ[οιου]τοισ edendum est, non εν τ[ου]τοισ. His unum tantum locum addamus, ubi intellectu difficile est quomodo potuerit errari. Locum dico 1, 53, ad quem apud Iacobsonum ex eoque apud plures editores haec leguntur: „αναβα[ντοσ]. Editores qui lineam sinistram του Ν censebant esse Ι, exhibent αναβαινοντοσ. At lacuna non nisi sex literas admittit; et tempus aoristi melius cum contextu congruit.“ Haec falsa sunt propterea quod αναβαι exeunte versu positum est absque ulla lacuna; lacuna vero solo ineunte versu proximo est. Quo tandem modo Ι exeunte versu eoque salvo nec obscuro positum pro priore parte litterae Ν haberi potuit?

Mentio autem hoc loco facienda est duarum editionum, quae brevi post Appendicem meam prodierunt, altera exeunte anno 1869 Londini et Cantabrigiae, altera Lipsiae ineunte anno 1870. Lipsiensis editio

* Ceterum hanc editionis Iacobsonianae priorumque omnium emendationem iam anno 1865, Cantabrigiae dum versabar, cum amicis meis Cantabrigiensibus communicavi, unde facile si quis post me codicem inspexit, candem lectionem confirmare poterat.

** ut idem codex 1, 21 ισχυι pro ισχυει habet.

debetur indefessis studiis viri clarissimi J. C. M. Laurent; Anglica clarissimo professori Cantabrigiensi J. B. Lightfoot. At utramque ita excolendam ut prioribus emendatiores prodirent, non minimum Appendix mea valuit. Tamen Lipsiensis editor iam dudum operam dederat ut locis mancis vel etiam corruptis probabili coniectura verum restitueret. Atque Anglicus editor meis uti emendationibus non satis habuit, sed tum per amicum editionem Iacobsonianam denuo cum codice conferendam curavit, tum ipse quae apud me differre a suis viderat ad codicem Londinensem exegit.* Quo factum est ut aliquoties rectius me scripturam codicis daret. Bis enim vitium codicis a me correctum vidit: 1, 35 et 1, 39. Illo enim loco non σωματοσ σου scriptum est, ut edidi et librarius scribere debebat, sed σωματοσ μοο. et altero loco σητορ τροποσ pro σητοσ τροποσ in codice est, quemadmodum Guilielmus Wright, a custodia librorum Mss. Musei Brit. et professor litterarum Arabicarum apud Cantabrigienses, vir mihi amicissimus, roganti rescripsit. Idem confirmavit 1, 57. potius cum Lightf. ωροειλα (i. e. ωροειλαρτο) quam mecum ωροσιλα (i. e. ωροσιλαρτο) legendum esse; malebat etiam 1, 15. κατηρωρτο quam κατηρουρτο, litteram υ aversae paginae tribuens, qua de lectione ipse Lightfoot: I looked several times and could not distinguish it. Aliis quoque locis, ut eo quem modo vidimus, testatur Lightf. scripturam codicis se non adsequutum esse, repetit tamen quod ipse legi. Cuiusmodi sunt 1, 51. τιροσ τωρ [το]υ αρτικ[ειμε]ρου 1, 50. χυ in verbis βασιλ. του χριστου 1, 42. secundum α in καταξιωθημερ „as Tisch. reads it, but I could not see distinctly".** Aliis denique locis aperte ille falsus est, confirmante meam lectionem Guilielmo Wright. 1, 6 enim legi mavult δαη αιδεσ, adnotans: „The second α begins a new line." At in codice sine dubio est δα ραιδεσ. 1, 11 ad κριθεισησ notat: as I read it, but Tisch. and Jacobs. give it κριθησησ. Errasse Lightfootum ipsa tabula photographica docet. Ibidem ετερογρωμοσ a Guil. Wr. confirmatur, Vansittart malebat ετερογρωμου, et Lightf. dicit: „The lest letter appeared to mo like σ with possibly γ superposed".

* Refert de ea re in Prolegg. pag. 24. hunc in modum: Before I was aware that Tisch. was engaged upon this facsimile, I had with a view to this edition procured a new and thorough collation of the text of these epistles through the kindness of Mr A. A. Vansittart, who at my request undertook the work; and we found that notwithstanding the labours of previous editors the gleanings were still a sufficient reward for the trouble. On the appearance of Tischendorf's facsimile, I compared it with Mr Vansittart's collation, and found that they agreed in the great majority of instances where there was a divergence from previous editors. (h. l. adscribit lectionem 1, 49 a me inventam τισ αρεςτοσ etc., de qua supra p. VI. diximus). Tum pergit: In some readings however they differed: and in such cases I have myself inspected the Ms (repeating the inspection at three different times, where the writing was much defaced), in order to get the result as accurate as possible. There still remain however a few passages where the Ms is so injured that it is impossible to determine the reading with certainty. Tischendorf's text contains several errors, which however are for the most part corrected in the preface. Quod vero addit, διακομιαρ pro διαρομιαρ a me datum esse, id quod non ex lectionis diversitate sed ex incuria transscribentis fluxit, id et ipsum dudum correxeram in nota m. Maio a. 1869 addita volumini I. Ni. Ti. ed. VIII. crit. mai. Prolegg. p. XX. Ibidem I, 40 τασ τε pro τασ δε „consulta rursus imagine photographica" substitueram.

** 1, 40 confulit Lightf. in editione εκελευσερ post επιτελειρ cum εκελευσερ post ατακτωσ. Dicit vero: „Tisch. deciphers ε . . . ευσερ. I have looked again and again, but could only read (and this doubtfully) the initial ε."

1, 36. vult „οσω̄ i. e. οσωμ" legi, non οσω. At id prorsus a vero abhorret, neque locus est totius codicis quo οσω̄ vel simile quid mediis in verbis pro οσωμ ponatur. De tribus locis 1, 12. 1, 43. 1, 53 vide commentarium.

Mira vero est, ut supra iam significavimus, scripturae antiquae vitiositas, qua re Alexandrinus codex aemulum se Sinaitici et Vaticani praebet. Exempla quaerenti instar omnium esse poterunt ΘΙ (non ut alii retulerunt οι) ΜΗ pro ει μη, εψεται pro οψεται, οταρ pro οταμ. Alia ex ingenti numero sunt τησ pro τασ, αλλασ pro αλλα, αδελφουσ pro αδελφου, λυχμομ pro λυχμοσ, αριθομ pro αριθμομ, εγγοισ pro εργοισ, καταλιλιασ pro καταλαλιασ, ποουμτεσ pro ποιουμτεσ, πιστισ pro πιστοσ, τελευτηκοτοσ pro τετελευτηκοτοσ, εξαιχμησ pro εξαιφμησ, κρυματα pro κυματα, μομ pro μομομ. Unde clarum fit, Alexandrinum pariter ac nobile illud antiquissimorum codicum par quod modo diximus, ab artifice scribendi eoque ut videtur Alexandrino Graecarum litterarum tantum non ignaro scriptum esse. Nihilominus ipse passim inter scribendum se correxisse videtur, quod emendationum et ratio et paucitas suadent, cf. infra ad 1, 20. 51 et alibi. Vix enim diorthotam hunc in modum officio suo functum esse crediderim. Ceterum cum scripturae vitiositate convenit interpunctio, quae saepissime ubi minime apta est invenitur, quemadmodum legitur αι αμαρτιαι· υμωμ, εξηλθεμ· εκ τησ γησ αυτου, τη εαυτου· δυμαμει. Inprimis versu exeunte punctum adponere scriptor amat, nulla sensus ratione habita. Ceterum puncta quibus scriptor usus est pleraque medium locum tenent, multo pauciora vel ad pedem vel ad caput litterae eius quae praecedit adposita sunt. Quae varietas ex mera scriptoris licentia fluxit, nec cum potestatis discrimine coniuncta est.

Quomodo auctor codicis inscripserit Clementis epistulas, non satis clarum est. Quod ut probabiliter definiri possit, quaerendum est quid eis de marginibus ubi titulorum locus erat perierit. Quod de prioris epistulae titulo superest, κοριμθιουσ α, id in priore quidem editione accurate eo ipso loco expressimus quem singulae litterae in codice habent. Hinc apparet quantum spatii ante κοριμθιουσ sit. Minus recte puncta a nobis notata sunt. προσ enim quod praecessit non seiungendum erat a κορ litteris. Non credibile est nil nisi προσ κοριμθιουσ α fuisse inscriptum. Spatii vero ratio omnino adiuvat κλημεμτοσ προσ κοριμθιουσ ᾱ statuentem. Quem titulum ipsa subscriptio prioris epistulae pag. 37. a nobis exhibita confirmat. Atque similiter habet index libris utriusque Testamenti in codice Alexandrino praepositus, ubi post αποκαλυψισ ιωαμμου legitur: κλημεμτοσ επιστολη α', κλημεμτοσ επιστολη β', omisso quidem eorum nomine ad quos epistulae illae datae sunt.

Dudum ab editoribus indicatum est inter fol. 9 (pagg. 33—36) et 10 (pagg. 37—40) desiderari folium. Quod quo iure primum a Iunio assertum esset quum quaerebat Iacobsonus, ita existimavit, Iunio „forte codicem conferre contigisse priusquam a bibliopego Anglico praescissus fuisset et in corio compactus." Haec mihi opinio perquam mira videtur. Quum enim omnium foliorum margines interiores abscissi sint, quid tandem sibi vult bibliopegi Anglici mentio? Certe hunc nemo suspicabitur eo temeritatis processisse ut folia

tam misere detruncaret. Sin vero iam tum soluta erant singula folia, nihil ad hanc rem bibliopegi Londinensis opus pertinet. Sed aliud est quo haec res ad liquidum perducitur, quod omnes huensque fugisse, et ipsum mirum est. Fuit enim, media ut puto aetate, qui singula folia numero notaret signis arabicis adhibitis. Horum signorum exteriore margine etiamnum plura cernuntur. Hinc folium 6 (pagg. 21—24. apud nos) numerum ١٣١ (131) habet, fol. 7 (pagg. 25—28) ١٣٢ (132), fol. 9 (pagg. 33—36) ١٣٤ (134), fol. vero 10 (pagg. 37—40) ١٣٦ (136). Quum igitur hi foliorum numeri ponebantur, pluribus certe abhinc saeculis, inter fol. 9 (pagg. 33—36) et 10 (pagg. 37—40) folium numero 135 notatum erat. Atque hoc unum periit; nec enim caussa est cur codicem tunc quum numeris arabicis signabatur ipso eo loco non integrum putemus fuisse.

Satis etiamnum apparet, primum versum alterius ad Corinthios epistulae minio scriptum esse; eodem modo initium prioris epistulae insignitum fuisse, quamvis paullo minus appareat, pro certo habeo.

In aetatem huius codicis rursus diligenter inquisivi, quum per duas fere hebdomades quotidie manibus eum tenebam. Etsi inveni aliquot loca quibus antiquissimae scripturae elegantia formis productis atque oblongis imminuitur, tamen non possum quin confirmem ab aetate codicum Sinaitici et Vaticani uno fere saeculo Alexandrinum abesse i. e. circa medium saeculum quintum videri scriptum.

Sed ab epistulis Clementis discedere non possum quin breviter dicam de codice Ferrarensi palimpsesto, quem longo abhinc tempore cum aliis tum mihi iniecta est spes ad Clementinas litteras valiturum. Quum anno 1843 Venetiae in bibliotheca S. Marci codicibus excutiendis operam dabam, unus e bibliothecariis Ferrarensibus obiter mecum communicavit, esse Ferrarae codicem palimpsestum antiquiore scriptura epistulam Clementis priorem continentem; se ipsum cum Angelo Maio examinasse, sed scripturam tantum non cum Londinensi consentire. Magno ex illo tempore desiderio thesauri Ferrarensis tenebar. Quod enim bibliothecarius nuntiaverat, confirmabat quodammodo Fridericus Blumo in Itinere Italico, cuius vol. 2. pag. 179 a Maiero antiquiorem illam codicis Ferrarensis scripturam detectam, et vol. 4. pag. 239 Carolo Witte auctore cum aliquot Gregoriorum et Chrysostomi scriptis Clementinum opus ibi contineri dicit. Augebat spem celeberrimus Professor Halensis, qui accuratiora roganti mihi rescripsit, non tam priorem quam alteram Clementis epistulam Ferrarae ante 40 annos se invenisse, nonnihil etiam descripsisse, descripta Thiloni tradidisse, apud quem quo devenerint latere. Hinc nuper i. e. anno 1866. Romam quum repetebam nihil antiquius habui quam ut Ferraram me conferrem. Librum exspectatissimum iam manu tenenti oblata est Angeli Maii quaedam de libris Mss. Ferrarensibus dissertatio, qua Clementinae epistulne a se inventae mentionem facit. Denique ipse ille bibliothecarius anni 1843, nunc canonicus, ex aede eius urbis cathedrali arcessitus est, qui cum Maio olim folia rescripta perscrutantem certe inscriptionem epistulae κλημεντοσ του ρωμησ suis se oculis vidisse asserebat. Hunc quem laudabnt titulum feliciter mox inveni. At usura falsi gaudii fruebar. Revera illud quidem ibi scriptum est: κλημεντοσ επισκοπου (unde του apud Maium fluxerat)

ρωμησ, sed praecedunt: βιοσ του αγιου μαρτυροσ, et sequuntur του μαρτυρησαντοσ etc. Huic vitae Clementis, in quam passim in actis sanctorum manu scriptis incidere me memini, cum epistulis eiusdem viri apostolici nihil commune esse, inter eruditos constat.

Adiunximus libro huic tabulam, qua scriptura codicis Alexandrini imagine photographica translata in lapidem expressa est. Redditi sunt loci tres: primus ex capite 9. prioris epistulae est: Διο ὑπακουσωμεμ τη μεγαλοπρεπει etc. Alter est ex eiusdem epistulae capite 5. et verba repraesentat celeberrima de itinere Pauli επι το τερμα τησ δυσεωσ. Tertius ex alterius epistulae capite 7. desumptus est: [καμ εγγυσ του στε] φαμου γενωμεθα. Ειδεμαι etc. Accedunt versuum aliquot initia ex paginis nostris 21 et 22. Quibus veteris scripturae exemplis docetur quanta passim, inprimis exeuntibus versibus, litterarum sit inaequalitas, proptereaque quam difficile saepe sit e spatio deperditarum litterarum coniecturam facere.

Scribebam Lipsiae medio mense Augusto anni 1872.

COMMENTARIUS.

De ea vocalium et diphthongorum permutatione quae a similitudine pronunciationis pendet maximeque cernitur in itacismis qui dicuntur, in antiquissimis libris plerisque frequentissima, non referemus singillatim in hoc commentario. Saepe autem permutantur η ι ει, quemadmodum legitur αιφμηδιουσ, ηυλησθησαμ, προστηθεισ, προσκλησεισ, ηληκημ, item καθικουσαμ, μυκτιρηζουσιμ: βραδειομ, λειπαρα, ειλεικριμεισ, επαγγελειασ, ηττομει, ερεισ pro εριϲ, ποιησειμ pro ποιησιμ, item υποδιγματωμ, πιστι, διωχθισαι, συγγεμιασ, ιλικριμωσ, σημιωσιμ, πειρομ: etiam (1, 1.) ξεμοισ pro ξεμησ. Nec minus inter se commutantur αι et ε, ut quaevis pagina docet, cuiusmodi sunt εποιειται, αιτοιμοι, οσταιωμ, παιδιομ pro πεδιομ, ευκλαιη, παραικβαιμωμ, αισταιωσ, ελαιουσ, δωραιωμ, αιπερομεμομ, γεμμεα, εξερετοι, ακερεοι, επεσεμ pro επαισεμ. Maiore neglegentia factum est quod aliquoties ο et ω et aliae litterae permutatae, litterae praetermissae, syllabae duplicatae vel omissae, tot denique alia scribendi vitia commissa sunt. Huius generis insigniora certe referendi consilium est.

I, 1. μομ]ιζομεμ: sic probabiliter iam dudum expleverunt lacunam. Nullum litterae quae ι praecessit vestigium est quod δυσοιζομεμ aut οικτιζομεμ reponere suadeat. De ξεμοισ pro ξεμησ iam relatum est. επιεικημ μ: apparet επιεικημ εμ scriptorem voluisse. Accusativi ut επιεικημ plures infra sequuntur. Hoc ipso capite habes ασφαλημ, cap. 14. ασεβημ, cap. 26. σαρκομ, atque cap. 29. ipsum επιεικημ redit. Pro πορευεσθαι recte correxerunt editores επορευεσθε.

I, 2. εδεδετο: sic codex. παρεδιδετο, διεδιδετο, εξεδετο in Novo Testamento ex antiquissimis codicibus edidimus. Malebat Laurent εδιδετο propter εγιμετο quod sequitur. Postea sequitur πεποιηθησεωσ. Pro αμαμμησικακοι aute me αμαμμησικακοι legerant.

I, 3. codex δοθη et τησ πομηρασ pro εδοθη et τασ πομηρασ. Item απεγαλακτισεμ, pro quo iam Iunius απελακτισεμ substituendum censuit.

I, 4. ζηλοσ pro δια ζηλοσ, rursus δια ζηλοσ pro ζηλοσ scriptum est.

I, 5. φθομο[μ οι μεγι]στοι: sic Birrio praeeunte plerique. Idem proposuit αριστοι et κρατιστοι, Lightf. καλλιστοι. Spatii ratione κρατιστοι et καλλιστοι magis quam αριστοι et μεγιστοι commendantur. Equidem haud scio an και οι pro οι proponam. στυλ[οι εδιω]χθησαμ nihil dubitationis habet. Quod vero sequitur, θαματο[υ ηλθομ], ut cum Wottono plerique scripserunt, Laurent cum θαματο[υ εσταθομ] commutavit; nec enim ηλθομ illud certissimum videtur. Quintus versus αποστολου[σ. ο πετρ] expleri solet, ac vix aliud nomen substitui posse videtur. Tamen non ita scribi solet ut πετρ exeunte versu, οσ ineunte ponatur. Non dubium est ουχ ε[μα ου]δε δυο. Primae litterae post ουχ dimidia fere pars etiamnum superest. Eadem ratio est litterae η post υπ. (Lightf. „I could discern traces of a letter, but these might belong equally well to an ε or an η“). Propterea rectissime υπ[ημεγκεμ] scribi videtur. Post ζηλομ recte και ο perisse Iacobsonus statuit. Versu 11. post βραβιομ membrana abscissa est neque litterae quae sequebatur vestigium superest, eo vero qui sequitur versu certum est ζεμ. Nec aliter de utroque loco post me Lightf. Nec igitur απεσχεμ cum Iunio nec υπεσχεμ cum Wottono aut υπειχεμ scribi potest. Quod Laurent et Lightf. proposuerunt, υπεδειζεμ, et ipse probo. Versu 12. post φορεσασ nihil legi potest: id quod confirmat Lightf. Ex ipsa tabula photographica apparet nihil membranae post φορεσασ superesse quod φ contineat. Probabiliter tamen [φυγα]δευθεισ restitutum videtur. Iunius παιδευθεισ, Coteler. ραβδευθεισ voluerat. De verbis επι το τερμα cf. tabulam nostram. επι satis perspicuum et certissimum est.

I, 6. δαμαϊδεσ και διρκαι: ita omnino codex habet, ut iam supra vidimus. Confirmavit etiam Guil. Wright. Errarunt Wordsworth et Lightf. qui δαη αιδεσ pro δαμαϊδεσ legisse sibi videbantur. Falsissimum est quod scripsit Lightf.: The second α begins a new line.“ Ceterum liberrima coniectura Wordsw. Clementem μεαμιδεσ παιδισκαι scripsisse voluit, id quod recepit Lightf.

I, 7. υπομμησκομ[τεσ]: sic. Codex σεμμομ τ[et]σεωσ. Proposuit Iunius τ[ησ] [αγιασ κλη]σεωσ. Haud male. Quod Millius proposuit, τ[ελειω]σεωσ, ita emendandum est ut scribatur: τ[ησ] [τελειω]σεωσ. Id quod Lightf. recepit. Laurent maluit τ[ησ] [του θυ κλη]σεωσ, at haec spatium excedunt. Versu 2. praeeunte Iunio plerique dant: [βλεπω]μεμ. At id non explet spatium. Rectius Lightf. [γιμωσκω]μεμ, vel potius [Γιμωσκω]μεμ. Quod Laur. coniecit, [καταμοησω]μεμ, nimium litterarum praebet. Versu 3. pro spatii ratione scripsi

[και τι προ]σδεκτον pro Iunii coniectura [και προ]σδεκτον. Lightf. [και ευπρο]σδεκτον. Versu 7. πατρ]ι αυτου scripsimus praeeunte Bleekio aliisque. Pessime ante αιμα suppleverant. Sed πατρ]ι ad explendum spatium non satis est si πρι, quo compendio scriptor plerumque utitur, positum statuimus. Tum rectius cum Lightf. και πρ]ι substituitur. At legitur etiam πατροσ plene pag. 8. versu 16. Ineunte versu 10. αμελθ]ωμεν et αμ]ωμεν proposuerunt. Illud iusto plus, hoc iusto minus litterarum habere videtur. Illud ferri nequit nisi certe Λμελθ]ωμεν fuisse statuamus; αμ]ωμεν certe cum αμει]ωμεν commutandum esset.

I, 8. versu 8. linea super ουνου ita ut edidimus revera in codice posita est.

I, 9. πιστισ: scribi debebat πιστοσ.

I, 11. κριθησησ: sic omnino codex, quod iam diximus a Guil. Wright confirmatum. Male Lightf. κριθεισησ. Ibidem ετερογνωμοσ (pro γνωμονοσ) est, ut iam Iacobsonus legerat. Vansittart legit ετερογνωμου, falsus aversa pagina, unde teste Wr. υ in ευρεθη translucet.

I, 12. εκπεφθεντων: sic. Pagina 8, 1 sqq. satis ambigitur de explendis lacunis. Versu 1. plerumque editur [ανδρεσ προσ σε ηλ]θον. Vix recte. Lightf. proposuit: [ιδου εισηλ]θον. Ego praetulerim: [προσ σε εισηλ]θον. Tum τησ[γησ ημων] εξαγαγε non cum Lightf. in τησ[γησ· συ ουν] εξαγαγε mutandum puto. Vix dubia quae sequuntur: βα-[σιλευσ ου]τωσ, εισηλθον [οι δυο αν]δρεσ, προσ με [αλλα ταχε]ωσ. Versibus vero 7 et 8. malo πορευον[ται· ουχ] υποδεικνυουσα αυτοισ ε[κεινουσ] cum Cotelerio quam πορευον[ται· οδον] υποδ. αυτοισ ε[ναντιαν] cum Iunio, quem etiam Lightf. secutus est. Litterae K exeunte v. 8. non superest est nisi altera pars, quam Lightf. posse etiam litterae N esse opinatus est. οτι [κσ ο θσ] υμων recte iam Iunius dedit, item υμιν [την πο]λιν ταυτην. και ο[τρο]μοσ: ita in codice. Male hucusque articulum praetermiserant edd. τοτοεγοσ: pro το στεγοσ sive το τεγοσ. Illud στεγοσ eo commendatur quod scriptor ex στ inepte το fecisse videtur. Alterum qui praeferunt, duplicatum το omissa littera τ ante εγοσ volunt. Sequitur autem σου, non ου, ut ab aliis assertum est.

I, 13. εν αυτη: scribi debebat εν αυτω. εαυ[τουσ ει]σ: sic potius pro spatio scribendum quam, ut cum Iacobsono ediderunt, εαυ[τουσ προ]σ.

I, 15. Pro κολληθωμεν videtur primum κολλωθωμεν scriptum fuisse, sed ipse se scriptor correxit. κατηρωντο: vide supra. Dederam in ed. priore κατηρουντο, ad quod Lightf. notavit „I looked several times and could not distinguish it.“ Tamen Guil. Wr. confirmavit ω, non ου. Versu 9. paginae 10. αναστησομεν scriptum pro αναστησομαι sive -σομε.

I, 16. εψεται: miro vitio pro οψεται. In μακροβιον videtur ι ex α correctum. ελθοντοσ: ita codex pro ελθοντεσ.

I, 17. ταπεινοφρωνων: sic. κατηγ[: plerumque dederunt κατηγ[ορων λεγει]. Lightf. praefert κατηγ[ορει λεγων]. Deinde ρυπ[ου ουδ ει] edi solet. Potest tamen etiam ρυπ[ου ουδ αν] vel potius cum

Laurent adhibito Iob. 14, 4 sq. ρυϖ[ου εαμ και] scribi. Postea recte Iunius ολω [τω οικω], Colomesius τησ [υϖηρε]σιασ αυτου, Wottonus α[ιγυϖτομ] δια. Reliqua iam recte Iunius: και των [αικι]σματωμ, κακε[ιμοσ], εμ[εγα]λορημομησεμ, ε[κ τησ] βατου, διδο[με]μου et ϖεμϖ[εισ].

I, 18. ϖλυμεισ: sic codex.

I, 19. ταϖειμοφρομομ: plerique praeeunte Iunio correxerunt ταϖειμοφρομ. Rectius Laur. et Lightf. -φρομουμ. Ibidem αλλασ vitiose scriptum pro αλλα.

I, 20. κρυματα, ταγαισ, μεθοϖωριμοι: ita codex. Praeterea mira neglegentia edi consuevit εμ ειρημη κοι ομομοια ϖοιουμται, quum codex praebeat εμ ομομοια και ειρημη ϖοι. Altero ordine eadem verba paullo post scripta sunt.

I, 21. Pessime opinati sunt ϖουμ pro ϖου· in codice scriptum esse. Confuderant punctum quod sequitur cum μ. Ibidem est λυχμομ: sic pro λυχμοσ, item εγκαυχωμεμοι pro -μοισ.

I, 23. εξαιχμησ: sic codex, paullo ante εξεφμησ.

I, 24. αμισταται ηι[: „Post η edidimus ι, quod satis apparet. Est autem potius prior pars litterae **H** quam **M**.“ Ad haec Lightf. notavit: „I could only discern a stroke which might as well belong to a μ as to an η; and the parallelism of the clauses suggests the omission of the article“. Quod de parallelismo an recte senserit dubito. Praecedunt: κατα και[ρομ], ubi Lf. mavult [ρουσ], ημερ[α και]μυξ, δηλουσ[ιμ·]. Sequuntur επερ[χεται] βλεϖωμ]εμ τουσ. Pro [βλεϖωμ]εμ Iunius invito spatio [ιδωμ]εμ dederat. Post ο σποροσ vero cum Iunio ϖασι δηλομ suppleri posse recte negavit Iacobsonus. Ipse praeeunte Wottono κοκκου voluit. Quod vide ne sine articulo post ο σποροσ legi nequeat, ut recte monuit Lightf. Hinc Lightf. τησ γησ proposuit, cui et spatium et contextus conveniunt. Sequuntur εξηλ[θεμ ο σ]ϖειρωμ. Tum vero [και βληθε]μτωμ edunt. At sunt plures litterae quam spatium capit; quapropter και omittendum videtur. Certa vero videntur ϖε[ϖτωκεμ] et δι[αλυεται], quorum prius Iunius dedit, alterum (adhibito Theophilo ad Autolyc. 1, 13) Millius. η μεγα[λειοτ]ησ debetur Wottono, [αμισ]τησιμ et ϖλει[ομα] αυξει iam apud Iunium leguntur, pariter ac quae sequuntur [ιδω]μεμ, [γιμ]ομεμομ, [το]ϖοισ.

I, 25. μομογεμησ: sic, item τελευτηκοτοσ, βασταζομ et διομευει, cuius loco primus Clericus διαμυει reposuit.

I, 29. αριθομ: sic, omisso μ.

I, 30. αγιου ουμ: in codice est αγιουμ (non ut alii voluerant αγιομ), suprascripto ipsa prima manu ου inter ι et ου, unde fit αγιου ουμ. Pro αγμουσ Cotelerius proposuit αμαγμουσ, Colomesius, quem plerique secuti sunt, λαγμουσ. Pro εδεηθη scribi debebat εδοθη.

I, 31 et 32. ϖεϖοιθησ[εωσ γιμω]σκωμ iam Iunius, item ηδε[ωσ εγεμε]το, ταϖειμοφρ[οσυμησ], ϖροσ [λαβαμ], εδοθ[η αυτω], ῑλικριμ[ωσ], εϖιγμωσεται [το με]γαλεια, δεδομε[μωμ]. Iacobsonus vero recte αυ[του δι αδελ]φομ proposuit pro Iunii coniectura αυτου φευγωμ αδελ]φομ. Versu vero 9. cum Lightf. scribendum του [ιηλ̄· εαμ]; non est enim

cur ει pro εαμ cum reliquis praeferatur. Versu vero 13. post εξ αυτων (quod cum Iunio corrigendum αυτου) γαρ scribe ιερει[ς τε] και. Editores priores omiserant τε invito spatio. Mecum facit Lightfoot. Pro ημερας versu 30. corrigendum ημετερας, item v. 34. τους απ pro του απ.

I, 33. lacunas huius partis probabiliter expleverunt Wottonus et Iunius. Hic enim dedit περιεχον[τος αυ]την, ηδρασεν [επι το]ν, βου[λημα]τος, εν αυ[τη ξ]ωα, ille explevit συ[νεσει διεκο]σμησεν, τε [διεχω]ρισεν, egregie adiuvante Iohanne Damasceno in Parallelis sacris. Vide ed. Lequien II, 310. Versu vero 7. paginae 21. τη εαυτου [συντ]αξει legendum censui pro eo quod invito spatio edi solet προσταξει. Lightf. nuper proposuit etiam [διατ]αξει et [επιτ]αξει. Eo vero versu qui sequitur spatium docet non aliud in codice scriptum fuisse quam θαλασ[σαν κ]αι τα. Si quis θαλασσαν τε και τα mavult, ut Lightf., non dat sed emendat scripturam codicis. Paullo post codex εγγοις pro εργοις praebet. Praeterea ο posterius in υπογραμμον videtur ex α ipsa prima manu restitutum esse.

I, 34. codex λιτουργουν pro λειτουργουν.

I, 35. μεταλαβωμεν: ε posterius super ο eraso positum videtur. Ante πιστεως post διανοια ημων Iunio videbatur δια inserendum esse, quod multis placuit. καταλιλιας: ita codex pro καταλαλιας. Idem habet φιλοξενιαν, quod emendationem flagitat. Paullo post sequitur μον pro μονον. Versu 6. pag. 23. επι στοματος μου post alios a me in ed. 1. datum est (vide supra); sed σου pro μου debebat dari. Paullo post εξοβαλλες codex pro εξεβ. et αδελφους σου pro αδελφου σου.

I, 36. δια τουτου: ita prima manu ex δια τουτο effectum Pro οσω (ante διαφορωτερον) per manifestum errorem a Lightf. codex οσω̅ praebere dicitur, qua de re iam supra diximus. Iam Iunius restituit κ[αι την κατα]σχεσιν, τ[ης γης], αυ[τον καθου] εκ, αν [θω τους]εχθρ., υποποδιο[ν των πο]δων. De ea lacuna quae sequitur ita statuendum est, ut ουναε[χθροι] possit scriptum fuisse, sed spatio satis convenienter etiam κυ addi potest, non item αυτου. Sequitur αντιτασσ[ομενοι]. Post alterum θεληματι sat spatii est ut αυτου (vel etiam ΤΟΥΘΥ scriptum fuisse dixeris. Minime vero a Wottono θυ̅ aut ab Iacobsono ι ad lacunae finem adhuc cerni poterat; in eandem enim membranae partem ea verba incidunt, qua abscissa perierunt quae versibus eis qui antecedunt et qui sequuntur desiderantur. In quam notam editionis meae prioris Lightf. dicit: „The Ms is correctly read by Tisch. — Having regard to the context, αυτου is better than του θυ̅ —".

I, 37. Nihil dubii habent ανδ[ρες αδελ]φοι, εκτενεια]ς εν τοις] αμωμοις, προσταγμασιν [αυτου], στρα[τευο]μενους, η[μων]. De εκτ[vero mihi sic videtur. In codice primum scriptum erat εκτως. Post vero, idque nescio an ad ipsum scriptorem referam, ex ι facto γ atque inter ε et κ suprascripto ι correctum est ευεικτως. Quae de primis syllabis dixi probavit Lightf. „So far I agree with Tisch." Tum vero pro ω, cuius priorem partem oculis me adsequutum scripseram, ipsi

potius ıı ante oculos erat, unde ευεικτικωσ scriptum fuisse concluserat. Addit tamen: „But the Ms is so worn, that it is impossible to speak confidently. The lacuna seems too great for a single letter, and this again is an obiection to ευεικτωσ, the reading of Tisch. But the uneven length of the lines diminishes the force of this objection.“ Mihi quidem ab opinione mea non discedendum videtur, quae eo etiam confirmatur quod ευεικτωσ, non item ευεικτικωσ, Graecis dicebatur.

I, 38. μη τμμελειτω: ita codex. Iunius (etiam Lightf.) μη ατημελειτω, alii μη ωλημμελειτω, μητ' αμελειτω substituendum censuerunt. Post σαρκι quot litterae perierint difficile dictu est, quum versus non eodem modo exeant et alter altero saepe longior sit. Magis tamen convenire videtur ητω vel εστω (Laurent) quam Noltii σιγατω. Aliena vero a codicis scriptura Hilgenfeldii ratio σαρκι και [αυτοσ] μη αλαζ. Ea quae sequuntur: γινωσ[κων] [οτι ετ]εροσ, [αυτω] την εγκρ., αναλογι[σωμ]εθα, ποιοισ [υλησ] εγ., και τι[νεσ ει]σηλθαμεν, [ωσ εκ τ]ου ταφου, [ο ποιη]σασ, [ειση]γαγεν, [προ]ετοιμασασ, iam Iunii studiis debentur.

I, 39. μυκτιριζουσιν: sic. σητον τροποσ pro σητοσ τροπον. Vide supra. δυνασθαι (25, 36): σ extra lineam ab ipso scriptore positum. Videtur igitur primum omisisse. κακων: maiore ex parte rasuram occupat. Rursus ipse se scriptor correxit.

I, 40. ε[κε λ]ευσεν: vide supra.

I, 41. συνειδησιν: sic pro συνειδησει, item καταξιωθημεν pro κατηξιωθημεν. Adnotat Lightf.: „as Tisch. reads it, but I could not see distinctly.“

I, 42. καθεσταναι: sic.

I, 43. κεκοσμημενω: ita codex pro -μενη. Post ωσαυτωσ Maur. Schmidt, probantibus Hilgenfeldo et Laurentio, perisse ωσ statuit. Iam Iunius praeivit ανδρων [και επε]δειξατο, [τασ σφρα]γιδασ, τη[ν σκηνην] του. Versu 4. paginae 28. nunc edidi προε[, antea cum omnibus prioribus editoribus προσ[dederam. In ipso codice utrum C an Є praecedat lacunam, certo definiri nequit (id quod confirmat Lightf. „apparently the traces of the last letter visible might belong equally well to an ε as to a σ“), quum media litterae pars in ipsam lacunam incidat. Bene vero notatur a Lightf. non recte προσηνεγκεν siue τασ articulo legi. Praetulerim igitur προε[φερεν τασ] ραβδουσ vulgatae coniecturae προσ[ηνεγκεν] ραβδ. Postea spatii ratio non obstat quominus η ρ[αβδοσ του] ααρων cum Lightf. probemus. Plerique sine του locum dederunt. Post εχουσα punctum perisse puto, proptereaque [addidi. Sequuntur βεβλ[ασ-τηκυια], απ[οσγνω], μελλειν [εσεσθαι], ακ[αταστα]σια, ουτω[σ εποι]ησεν, τ[ο ονο]μα, μονου [θυ], quae nullam dubitationem habent.

I, 44. του χυ: ita codex pro του κυ. μεταξυ: sic. επινομην: ita codex. Lightf. cum Turnerio non male επινομην reponit. Alii επιλογην, επιστολην, επιτροπην, αποδομην, ετι νομον proposuerunt. εδοκαστιν: ita codex. Item μεμαρτυρημενοισ et μεταγαγετε pro μεμαρτυρημενουσ et μετηγαγετε.

I, 45. περι[ ]ανηκοντων. Solet cum Iunio post περι suppleri μη. Sed non male Ligthf. εσται i. e. εστε pro imperativo habet propterea que των,

non μη, post περι supplevit. εμ[κυπτε]τε cum Iunio editur. Idem proposuit τασ αληθειασ [ρησεισ] πνευματοσ του αγιου, idque qui sequuti sunt editores omnes receperunt. Sed recte Lightf. eo offendit quod πνευματοσ του αγιου non facile dictum reperias; articulum vero inter ρησεισ et πνευματοσ quominus addamus, spatium impedit. Ipse τασ αληθειασ [τασ του] πνευμ. τ. αγ. proposuit. At nec sic Clementis scriptura restituta mihi videtur. επιτασθαι: sic codex pro επιστασθε. Deinde cum Iunio [οτι ου]δεν et παραπε[ποιη]μενον scribendum est. Minus vero recte idem [ου γαρ ε]υρησετε. Certe propter spatii penuriam cum Laur. substituendum esset [ουχ ε]υρ. Sed praefero Lightfooti coniecturam πον vel, ut ipse edidit, ποτε ευρ. Sequitur αποβε[βλημ]ενουσ, item [εδι]ωχθησαν. Pro μιαρων Lightf. corrigendum censet μιαρον. Fortasse recte. Paullo post subsequitur ειπομεν pro ειπωμεν. στυητοι: ita codex pro στυγητοι. Pro επαφροι Laur. correxit εγγραφοι, quod etiam Hilgenf. et Lightf. probarunt. Antea alii aliter.

I, 47. ηττον: sic, idque ipsum Lightf. retinuit. A plerisque cum Davisio ηττονα substitutum.

I, 48. ων in αμεπνγϋϊων prima manu rescriptum est. διακριακρισει: sic, male repetitis litteris ακρι. Qua de re minime dubito. Olim invito codice εν δικαια κρισει edebatur. At nec Iacobsonus loci rationem satis perspexit. „Ego quidem", inquit, (ed. IV. pag. 182.) „quum Codicem acrius inspicerem, διακ . ιακρισιν cernere visus sum, verisimillimumque duxi duas priores syllabas repetitas fuisse per eandem festinationem et incuriam quibus debemus accusativum pro dativo, quem sensus plane postulat. Librario indocto γνωσιν proxime praecedens fraudi forsitan fuit. Sed pergamena in hac parte MSti tam trita, tam commaculata est, ut nemo sanorum pro certo hoc vel illud statuere audeat." Lightf. sic ad meam lectionem: „as read by Tisch." „As far as the σ he appears to me to have deciphered the Ms correctly. Iacobs. instead of σει reads it σιν. This seemed to me more like the traces in the Ms, but I could not see it distinctly".

I, 49. ποιησατω: per errorem hucusque omnes τηρησατω. Lightf. me sequitur, sed notat: So Tisch. reads the Ms. Other collators give it τηρησατω. I could not satisfy myself. On the first two inspections I inclined to τηρησατω, but on the last to ποιησατω. τισ αρκετοσ εξειπειν: sic codex, ut primus vidi pro eo quod omnes ediderant τισ αρκει ωσ εδει ειπειν. Nec hoc nec ποιησατω ad ed. photographicam conferre licet, uterque enim locus squalore obtectus est. Ipsa vero scriptura minime dubia. In verbis τισ αρκει etc. suspicati certo sunt editoris principis errorem Millius et Wottonus, sed Iacobsonus errorem etiam confirmavit. Scripsit enim in ed. 4. 1863. p. 183. ad verba αρκει ωσ εδει: „Millius et Wottonus mirantur quomodo istas tres voces eruerit Iunius, quippe quae plane fugerant a MSto. Mihi autem, summa qua potui cura Codicem inspicienti, visum est harum vocum reliquias tenuissimas quidem adhuc exstare." Praeterea vide supra.

